

NVMMVS CASTRENSIS

VENETORUM: CUSUS OBSESSA

Nicosiâ, Regni Cypri Metropoli : Anno

Christi 1570.



Elymus Turcarum Imperator, imperij sui fines, more majorum amplificaturus, ad regnum Cypri invadendum animum adjicit: eò quod longè sic tutiores futuri essent Turcici Imperatores per ea maria in Syriam atque Ægyptum navigantes, qui alioquin à pyratis Christianis infestarentur, dum in ea insula refugium haberent. Quin & expeditionis hujus susceptæ causam hanc adferunt Historici, quod Selymus Hospitale conditurus Adrianopoli, & sepulchrum ibi suum præparaturus, dum sollicitus est de annuis redditibus copiosis, suasu Bassarum, pacem cum Venetis violarit. Solvit igitur Constantinopoli circa finem Martij Amurates Raïsus cum 25. triremibus: Eumque paulo pòst sequitur Piali Bassa: dum per 28. dies ad Aperras degisset, magno Janizerorum numero navibus imposito iter Cyprum versus dirigit: habens secum triremes majores 160: biremes & triremes parvas 60. Maonias 8: onerarias 6. Galeonem magnum unum: Palandarias tres: Passacavallos 40. Carramuscas 30. scaphas 40. In Cyprum itaque venit. Mensis Julij: Lysimum & Sabinas occupat mensis ejusdem 25: Nicosiam obsidet & occupat Mustapha Bassa die 3. Augusti. Dum captivi in naves imponuntur, ut in tristissimam servitutem abducantur, Matrona pulverem bombardicum incendit, quo simul omnes perierunt: rata, melius esse mori, quam in Turciam abduci. *Veneti percusso in obsidione nummo, Turcis perfidiam & fracti federis infamiam exprobrant: adjecti à Angelica celestis imagine: qui ultionem divinam contra sedifragos istos efflagitaret.*

Levenclajus Author.

